

nihil aliud est, quàm non-repugnantia rei ad produci. Quanquam
quidam hanc ab illa non distinguant, sed pro unâ ac eadem po-
tentia habeant, quod facit Fonseca l. 9. Metaphys. q. 3. f. 3.

Th. 2. Hæc potentia *objectiva* appellationem nacta fuit ab
objecto, quia per potentiam objectivam aliquid potuit esse obje-
ctum potentia activæ; sicuti autem objectum potentia activæ non
unò modo sumitur: ita etiam potentia activa diversis modis acci-
pi potest. Primò igitur objectum, idem interdum est ac subjectum,
in quod potentia activa agit, sicut aqua est objectum potentia acti-
væ ignis calefacientis. Deinde objectum idem interdum valet at-
que id, ad quod actio potentia activæ terminatur, & dicitur *terminu-
m*, nihilq; aliud est quàm id, quod producitur à potentia activa.
Sic Angelus quando à Deo creabatur, erat objectum potentia
Dei creatricis, quia per eum producebatur. Jam pro diversa vocis
objecti acceptione diversimodè accipi potest potentia objectiva,
& quidem bifariàm: (1) quatenus coincidit cum *potentia passiva*,
hoc modo potentia objectiva dicitur, quâ res actu existens apta est
ita objici potentia activæ, ut sit subjectum; quod actionem ejus su-
scipiat, & sic in aqua est potentia objectiva, per quam aqua potest
objici potentia activæ ignis, ut aqua sit subjectum, quod actionem
nempe calefactionem suscipiat. (2) potentia objectiva accipi pot-
est, prout distinguitur à potentia passiva, & sic potentia objectiva
est id, quo res aliqua potest produci seu potest objectum esse po-
tentia activæ, non considerando, an fiat ex aliquo, quod habet po-
tentiam passivam, nec ne. In hoc posteriori significato vox poten-
tia objectivæ à *Scoto, subtilitatis Magistro*, accepta fuit, & sic ad po-
tentiam objectivam duo requiruntur (1) ut res, quæ dicitur esse in
potentia objectiva, nondum sit, (2) ut fieri non repugnet. Sic ante
jacta Mundi fundamenta, omnes res erant in potentia objectiva,
h. e. quælibet res poterat esse objectum potentia divinæ, seu quali-
bet res nondum erat, fieri tamen non repugnabat. Contrà verò
Deus ligneus non est in potentia objectivâ, licet ipse non sit, quia
tamen fieri repugnat, idcirco ipsum in potentia objectiva (*Scoti*)
esse dici planè non potest.

Th. 3. Et hæc potentia objectiva datur ut non reale quippiam,
sed saltem ita, ut per eam aliquid sit aptum seu non repugnet pro-
duci.